B. N. C.
FIRENZE
15
6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PARANYMPHÆA THEOLOGICA,

SIVE

ORATIONES

DE LAVDE THEOLOGIÆ ET THEOLOGORVM,

Habitæ in exedra Auguſtinæa Lutetiæ anno 1627.

A BERTRANDO DV CHESNE in Academia Pariſienſi Profeſſore.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872
FIRENZE

PARISIIS,
Apud PETRVM DE BRESCHE, in via S. Stephani à Græcis, ad inſigne S. Ioſeph.

M. DC. XXXXVI.

Cum Permiſſione.

Digitized by Google

NOBILISSIMO AC

RELIGIOSISSIMO D. D.

BASILIO

FOVCQVET,

CONSILIARIO ET

ELEEMOSYNARIO REGIO,

Theſaurario D. Martini Turonenſis, Baroni de Chaſteauneuf & Donno-Marie, Priori de Dony, &c.

MEMORIÆ *proditum eſt, olim Romæ in Templo Apollinis Palatini, quod dedicatum fuerat ab Auguſto, Lychnuchos inſtar arboris mala ferentis, appenſos.*

Ecce tibi, nobiliſſime Domine, *Candelabrum offero ex ipſo adyto penetrali, & ſancto ſanctorum oraculorum veluti Cimeliarchio depromptum, à diuino illo artifice elaboratum. Ad modum quidem extat arboris, non Lauri, quam alioqui meretur tua virtus atque doctrina;* vel *Cedri, quâ non loqueris modò digna in eâ ætate, ſed iam facis; aut Oliuæ, quæ tua eſt ſuauitas morum atque humanitas, ſed* Quercus *tibi, tuæque nobiliſſimæ ac ſplendidiſſimæ familiæ pridem conſecratæ, poma longè mitiora & amiciora palato tuo, ni fallor, quàm quæ ſub cælo ſoloque noſtro natali naſcuntur, poſtliminio referentis. Ignis quondam Romanis Imperatoribus prælatus legitur in lucernis. Ego amorem in te meum & grati animi ſignificationem tibi nobiliſſimo D. genere, ingenio, eruditione, pietate cum primis claro, & nomine*

non magis, quàm re Baſilio; *coràm præfero his in lucernis. Opuſculum ſanè non ad lucernam Cleanthis aut Ariſtophanis elucubratum, ſed quod ad ſtricturam aliquam, nedum clariſſimam lucem ac ſplendorem nominis tui editum cuiquam infauſtum aut infeſtum eſſe non poſſit. Neque verò tanti Candelabrum hoc aureum licet totum cum lucernis ſuis conſtiterit, quanti lucerna fictilis Epicteti Philoſophi, quæ ab eius exceſſu maximo pretio, tribus videlicet Drachmarum millibus addicta fuit. Ea tamen arte, induſtria ac labore, quantum aſſequor coniectura, factum fictumque eſt, vt operam & oleum non perdat, animo meo, quiſquis Candelabrum hoc Theologiæ tam pretioſum, conquiſitis vndique tot gemmis illuſtratum, tot ſignis antiquis inciſum, quâ par eſt mente tractarit. Accipe igi-*

tur, Doctiſſime D. *hoc, quantulumcumque eſt munuſculum, & eris mihi magnus Apollo, cui ego quondam Muſas inter primas Apollo haud ingratus, opinor, ipſe fui. Vt tuum & tibi meritò dicatum cum cupies, capies in manus, & ad diurna ſtudia, & nocturnas lucubrationes tuas, quibus tam ardenter incumbis, admouèbis. Quod ſi hoc Candelabrum noſtrum fortean malè affectis oculis lumine ſatis claro non fulgeat, intereà ipſe tu*, clariſſime & ſplendidiſſime D. *ſatis ſuperque ſufficiens lumen eris. Vale*,

Lutetiæ Pariſiorum 7. Calend. Iunias 1646.

Tuus in omni genere obſequentiſſimus famulus,
BERTRANDVS DV CHESNE.

IV

Permiſſion.

IL eſt permis à PIERRE DE BRESCHE, Marchand Libraire à Paris, d'imprimer, ou faire imprimer vn Liure intitulé, *Les Harangues des Paranymphes faites en l'année* 1627. par le ſieur DV CHESNE. Fait à Paris le 23. May 1646.

DAVBRAY.

Vidi, & ecce Candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius; & ſeptem lucernæ eius ſuper illud, & duæ Oliuæ, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius. Zachar. c. 4.

PARA-

PARANYMPHÆA THEOLOGICA,

SIVE

ORATIONES DE LAVDE Theologiæ & Theologorum, habitæ in exedra Auguſtinæa Lutetiæ anno 1627.

CVM omnes ſemper eximia quadam & ſingulari laude dignos iudicaui, Rector ampliſſime, viri clariſſimi cæterique auditores humaniſſimi, qui ſummis in rebus, artibuſque præſtantiſſimis omni genere orationis exornandis præclarè verſati ſunt: tum eos maximè, qui retruſa atque abdita naturæ myſteria multiplicibus figurarum inuolucris; atque ſubtili literarum, vt vocant,

Hieroglyphicarum cõmendatione poſteritati tradiderunt. Nam videtur eſſe majeſtatis artium ac diſciplinarum præſtabilium, vt earum cognitio à vulgari ſenſu & intelligentia remota ſit, & in occultis rerum formis quaſi integumentis quibuſdam incluſa deliteſcat. Hoc intelligebat Ariſtoteles, vir naturâ peracutus & prudens, cum ea, quæ vocat Acroamata, & latenter, & obſcurè, & tot modis inuolutè conſcripſit, ne apud humanum ingenium admirabilis illa & ſingularis ſapientia vilior foret, ſed in omnium animis ardentius tam excellentis ſcientiæ deſiderium excitaret. Vnde hoc Alexandro, cum eas diſciplinas, quibus reconditas imperandi artes atque præcepta complexus fuerat, & quas ſibi ſoli cognitas optabat, libris in lucem editis peruulgatas eſſe quereretur, αὐτοὺς καὶ δεδομένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους, neque editos, neq; non editos eſſe reſpondit, quos nimirum quamuis legerentur pauciſſimi poſſent intelligentia & ratione comprehendere. Hanc autem Hieroglyphicorum ſcien-

Aul. Gell. lib. 20. c. 4.

tiam vt omnes ingenuas diſciplinas, quemadmodum à Platone & Orpheo memoriæ proditum eſt, Græcorum eruditiſſimi ab Ægyptiis acceperunt, vt ab Hebræis Ægyptij primùm hauſiſſe dicuntur.

Ac quidem Hebræi veteres (quod genus hominum conſtat, & in artibus excolendis extitiſſe ſolertes, & in cognitione rerum indaganda ſagaces) figuratam orationem tanti duxere, vt ſi quid argutè dictum, ſi quid acutè ſi quid neruos ſententiarum & aculeos orationis habere diceret, id linguâ ſuâ parabolas, imagines ac ſimilitudines appellarent. Itaque ſanctiſſimis Vatibus diuinitùs hoc venit in mentem, vt altiſſima quæque Religionis arcana variis figurarum velis ac ſymbolis adumbrarent, quæ æternis ſuis, & ad omnem poſteritatem peruenturis Oraculis conſignata reliquerunt. Ac ne longiùs exempla repetamus, & ab eo quod propoſitum eſt, aberret oratio, Zachariam vnum contemplemur, quocumque inciderint oculi, innumerabiles permotæ cæleſti diuinatione mẽtis vm-

ſimos illos ſeptem, quorum de laudibus molimur dicere, candidatos Theologos deſignabit. Sequimur autem præceptum hoc vetus, quo de Deo non eſſe loquendũ ſine lumine præcipiebat præſtanti ſapientia & nobilitate Pythagoras, & antiquorum conſuetudinem imitamur, qui in omni publicâ & priuatâ lætitiâ ianuas laureis & lucernis adornabant. Nam in communi Academicorum plauſu, in ſolenni laude ſtudiorum, in publicâ gratulatione & lætitiâ, non profani Apollinis laureis, ſed oliuis diuinæ Palladis Religioſæ huius domus poſtes adumbrabimus, & quod in triumpho ſuo fieri voluit Galliatum victor Cæſar, in hac triumphantis diuinæ ſapientiæ pompâ, lucernas publicæ lætitiæ teſtes oſtendemus. *Suet. in Iul. c. 37.* Iure igitur hunc diem feſtum lucernarum appellare licebit more Iudæorum, qui λυχνοψίαν, ſiue vt Ioſephus loquitur, φῶτα, lucernis pluribus ipſos octo dies accenſis ſumma Religione celebrabant. Quare agite, Auditores præſtantiſſimi, erigite mentes atque oculos, vt lumina lucernarum, quæ in maximâ Vaticinij

obſcuritate latent, videre poſſitis. Ita enim demonſtrare conabor, ſi modò Chriſtus, qui verus eſt mundi Sol, ſemper oriens, nunquam occidens, mentem illuſtret, & linguam ſoluat, quemadmodum olim ſtatuæ Memnonis contigiſſe ferunt, vt Theologia primùm lucerna *lucens* atque *ardens* eſſe videatur. Quæ duo per capita vbi ſeſe diffuderit oratio noſtra, tum ad reliqua, vt propoſuimus, ordine explananda aggrediemur.

Vt autem inde proficiſcamur, vndè hæc omnis ducitur explicatio, principio mihi ipſa videtur Theologia lucerna lucens, quæ caliginem erroris & inſcitiæ mortalium animis offuſam diſcuſſit, & eos maximâ rerum diuinarum cognitione illuſtrauit. Quod vt planiùs intelligatis, auditores humaniſſimi, fingite animis, (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, & quæ volunt ſic intuentur, vt ea cernimus quæ videmus) fingite, inquam, cogitatione imaginem denſæ cuiuſdam noctis & obſcuræ, quæ tetris tenebris & horrendâ caligine terras opacarit. Cum Sol

in occaſum præcipitat, & viciſſim nox tenebris obſcurare cœpit omnia, cernitur coeuntium nubium horror, & obducti cœli caliginoſa facies aſpectum omnem eripit. Nullus aſtris nitor, vnus terris color, nox denique Cymmeriis, vt aiunt, tenebris atrior rerum omnium diſcrimina confudit. Pratorum viriditas, vallium pulchritudo, veſtitus denſiſſimi montium, ſpatia frugifera & immenſa camporum, arbuſta tegmine foliorum ornata, hortorum amœnitas, varietas florum lætis colorum picturis in certamen vſque luxurians, totius denique mundi ſpecies, quâ nulla excogitari poteſt ornatior, euanuit. Ceſſantibus rerum motibus ægri mortales in tectis & lectis iacent, variiſque & incertis ſomniorum imaginibus deluſi turbantur. Intereà latitantes in ſyluis feræ è ſpeluncis exiliunt ad prædam, & immanitate truculenta concubiæ noctis ſilentium rumpunt, ſerpentes ſibilant, ganniunt vulpes, vlulant lupi, barriunt elephanti, rancant tygrides, frendent apri, fremunt pardi, vrſi gemunt, rugiunt leones, & relictis catulis,

cæcis tenebris & vmbrarum obſcuritate defenſi, oculis ardentibus, hianti ore, vacuo ventre, rabido dente, vbicumque ponunt veſtigia obuios greges cruentis faucibus, horribili ſtrage populantur. Sed quorſum hæc pertinent, Auditores, quorſum? vt intelligatis quanta erat illa calamitas, quanta caligo, quantæ tenebræ, quibus omnes homines demerſi iacebant, antequam clariſſima Theologiæ lucerna fulgeret, diuini numinis beneficio conſtituta.

Videor mihi videre, & vos animis perſpicere poteſtis orbem vniuerſum ſublato cæleſti hoc lumine, quo principiò collucebat, iacentem in tenebris incredibili errorum turba & confuſione vitiorum offuſum. Tum diuina fides occiderat, ſpes euanuerat, non ardebat charitas, non caſtitas elucebat, extincta erant pulcherrima gratiarum omnium lumina, admirabiles denique reliquarum virtutum Chriſtianarum ſpecies ſplendorem ſuum ac lumen amiſerant. Neglecto ſummi rerum omnium conditoris ac

Domi-

Domini cultu miſeri mortales, lethifero ſomno ſepulti, in ſummam calamitatem & ſempiterni horroris tenebras infœliciſſimè corruebant.

Indè Gentium illi mores flagitioſiſſimi atque teterrimi, tanquam ſerpentes è latibulis extitere, indè falſorum numinum cultus, & ſuperſtitio nefanda, vt immanes feræ, eruperunt in populos, atque in hominum animis ſopitis atque turbatis fœdiſſimam ſtragem ediderunt. Vnus in his calamitatibus tenebrarum princeps ſubſultans ac triūphans circuibat orbẽ, vt perderet quos crudeliſſimo dominatu in illis denſiſſimæ noctis tenebris oppreſſerat. Fœda mundi facies, homines penè omnes mentibus & corporibus in terram abiectis ſomniabant. Omnes ſibi ad arbitrium fingebant deos & numina. Ipſi Philoſophi, qui plus cæteris ſapere videbantur, eadem nocte circumfuſi in dementes & abſurdas ſomniorum ſpecies inciderant. Vt planè verum eſſe dixiſſes, quod à veteri ſcriptore dictum fuit, nihil vnquam ægrum ſomniaſſe, quod non Philoſophorum aliquis cogi-

tarit. Deum eſſe alij dubitabant, nullum eſſe omnino alij ſibi perſuadebant, alij alia ſomniabant, neque tamen ſibi minùs videbantur, quàm cum maximè ſomniabant, omnes, ſomniare. Errorem omnes biberant, vt illud Thebani Cebetis vſurpem, alij plus, alij minùs, quo tanquam ebrij atque lymphati longè à regione rationis, vt loquitur Lucretius, aberrabant.

Horrenda igitur erat illa nox, luctuoſa caligo, funeſtæ tenebræ, quibus homines offuſi iacuerunt, donec exortum eſt, in his tenebris, diuinæ lumen ſapientiæ, & mortale genus è tantis erroribus & malis eripuit. Poſtquam enim
Iſ. 60. cæleſtis ille ſplendor egreſſus eſt, & Theologia, vt lampas accenſa, tenebræ quæ operiebant terram fugatæ ſunt, caligo fuſa per populos diſſipata, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt, & populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam veritatis. Tum homines è ſomno ſuſcitati cœperunt agnoſcere errorem mentis, tum ipſam veritatis ſpeciem oculis cernere cœperunt ſplendidiſſimo Theologiæ

lumine recreati atque colluſtrati, cuius ſplendore, (quæ vita beata æternaque eſt,) cognouerunt, verum Deum ſolum, & quem miſit Ieſum Chriſtum.

Meritò ergò à nobis Theologia nominatur lucerna lucens, quæ tam denſas tenebras diſpulit, & tam claram rebus humanis lucem inuexit. Itaque mihi libet exclamare, quod in libris de moribus, de Iuſtitia prædicat Ariſtoteles, non Lucifer aut Heſperus magis orbi conducit, quàm homini diuinæ lucerna ſapientiæ, cuius lucem ducem qui ſequitur per hos mortalis vitæ fluctus, ad optatū immortalitatis portum fœlicius, quàm Leander ille in fabulis enatabit, & ad ſupernam patriam, tanquam ad cæleſtem Hieroſolymam, longè certiùs quàm illis facibus, quas Helena Conſtantini Imperatoris mater nauigantibus accenderat, tutus ab omni errore perducetur. Ioan. 17.

Pergamus verò, & lucernam noſtram, quam fulgentem in lucis & vmbris Gentium, quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim aſpeximus, paulò attentiùs conſideremus. Vultis autem

ab eo principio, quod eſt omnium principium, ordiamur? Excellens illud præſtantiſſimæ mentis numen, quem Deũ, quem ſummum vniuerſi Rectorem ac Dominum veneramur & colimus, qui tenebras poſuit latibulum ſuum, intelligere aliquando aut videre qui homines potuerunt? De quo quantò diutiùs cogitabat Simonides, tanto ſibi res videbatur obſcurior. Vndè non ſine cauſa in ſacris olim ceremoniis, Symbolorum ſemper memores Ægyptij, Deum σκότος ἄγνωστον, incognitam caliginem ter nominabant. Et cum illum effingerent, in eius imagine alam capiti applicabant, διὰ τὸ δυσεύρετον καὶ κεκρυμμένον, vt præſtantem illam æternamque naturam in ſumma obſcuritate latere viri ſapientiſſimi ſignificarent. Quid quod eundem ipſum venti nomine deſignarunt. Quid ita? ob eius incognitas & ſenſum omnem oculorum fugientes latebras, vt veteris Areopagi decus & Galliæ lumen egregiè reſpondet. Iam verò ſi Theologiæ lumen admoueris, ecce tibi derepentè ille veritatis fulgor, cuius Plato meminit, menti tuæ quaſi Sol

oriens ex alto clariùs illuſceſcet. Tum Deus lux erit, & tenebræ in eo nullæ videbuntur. Tum velut in ſpeculo diuinam illam perfectâque naturam intelliges, ſimplicem, infinitam, immenſam, immutabilem, æternam, omnia ſentiẽtem atque videntem, ipsãque præditam ſumma bonitate & potentia, & reliquis dotibus attributis, quæ admirationem in animo incredibilem excitabũt. Tum etiam horrendum ſanctiſſimæ Triados numen agnoſces, totius diuinitatis fontem atque principium aperies, diuinarum perſonarum intelligentias ſiue notiones, æqualitatem, ordinem, miſſionem, ipſaſque perſonas, Patrem, Filium, & diuinum Spiritum Deum vnum ac verum adorabis. *Suet. in Iul. c. 37.*

Agè verò quæ apud homines cognitio maior atque diffficilior, quàm illius mundi, quem Theologi Angelicum, Philoſophi intelligentem appellant, tantis obſtructum difficultatibus, vt cum ſolas Intelligentias orbium cęleſtium motrices aſſereret ſummus humanæ ſapientiæ Magiſter Ariſtoteles, in hoc cœcus fuerit &

elinguis? Quemadmodum enim cęleſtes illæ naturæ, cæteris rebus, quæ à ſummo mundi Rectore & opifice Deo creatæ ſunt, dignitate præcellunt: ſic & earum notitia difficilis eſt & ardua, qnod ab omni concretione mortali ſegregatæ in natura rerum exiſtant. Nũc autem Theologiæ lucernam obiice. Illa tibi tam apertè naturam Angelorum demonſtrabit, tam perſpicuè facultates exponet, tam dilucidè aliorum gratiam & gloriam, aliorum lapſum & pœnam explicabit, totum denique hũc mundum, quem à nemine ſatis pro dignitate decantatum Plato ait in Phædro, ſic oſtẽdet, vt ipſum cernere oculis videaris. Vt autem fœlicitatem hominis prætermittam, vt de libero arbitrio, de humanis actibus, de peccato, de lege, nihil dicam, quid obſcurius, quid ignotius, quid à ſenſibus noſtris abſtractum magis, quàm illud ſancti Spiritus donum, quàm cæleſtis gratia in homines ſanctos diuina benignitate collata, qua in omni officio retinentur, & mirabili ſtudio rerum diuinarum inflammantur? Sed hanc ſecretam gratiam

hoc præſentis numinis ſubſidium, quod tot eruditos etiamnum exercet, tam latens & opertum, apertum eſt lucernæ noſtræ claritate atque illuſtratum.

Quid porrò tam cæcum & ab aſpectus animi iudicio remotum, quàm admirabile illud ac ſtupendum diuinitatis cum humanâ naturâ fœdus atque coniunctio? Cum ipſa Dei Sapientia, ipſe, inquam, ſempiterni Patris ſempiternus Filius, ſplendor paternæ gloriæ, figura ſubſtantiæ, dum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter peragéret, à regalibus ſedibus venit, veramque hominis formam induit, vt hominum genus ab omni labe ſceleris expiaret. At hoc altiſſimum Diuinitatis arcanum, quod nullus ingenij acie penetrauit, ſi Theologiæ lumen acceſſerit, ità manifeſtum erit, atque perſpicuum, vt Sole ipſo illuſtrius & clarius appareat. Quid denique, ne cuncta myſteria, quæ Theologi Sacramenta vocant, complectamur, obſcurius concipi mente & cogitatione poteſt, quàm terribile illud ac plenum horroris, vt vocat Cyprianus, di-

uini ſanguinis & corporis ſacrificium, quod Chriſtus Optimus & Maximus Pontifex, qui Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedechi veteribus Prophetarum effatis appellatus eſt, iam veſperâ orbem inumbrante, inſtituit atque peregit? At hoc licet maxima ſit in ipſa re obſcuritas, & in iudiciis nòſtris infirmitas, ſi Theologiæ lucernam prætuleris, velut Aquila in nubibus, quod Græci dicunt, libum ſalutare, ſacrum admirabile, occultum atque inuolutum panis & vini ſpecierũ integumentis Sacramentum peruidebis. Baſileæ quidam de plebeiâ fæce ſartorum, ſimplici homo ingenio, hęſitans linguâ, quâ arte, incertum, cryptam illam quæ Auguſtæ Rauracorum patet, ingreſſus, mira quædam à ſe viſa memorabat: nam ad lumen cerei conſecrati, quem ſibi eum in finem comparauerat, cum deſcendiſſet in cryptam, principiò per portam ferream ſe tranſiuiſſe dicebat, indeque poſt varios ac perplexos camerarum errores amœniſſimos hortos, omni florum varietate diſtinctos & pulcherrimis arboribus conſitos at-

Stampſius in Chron. Heluet.

que

que virentes perductum. In medio ſplendidiſſimam Regiam omni opulentia refertam conſpici, & Nympham eximiâ formæ venuſtate, coronâ aureâ exornatam, à qua multa mira & incredibilia didiciſſet. Fabula eſt, dicet quiſpiam, fabula certè, ſed egregia tamen figura eſt, Auditores, qua videre poſſitis expreſſam ſacræ Facultatis imaginem, & ſummam eius dignitatem cognoſcatis. Eius enim ope rudis & imperitus quiſque profundiſſimam rerum diuinarum contemplationum ingreditur, & non ſine magnis laboribus & difficultatibus excipiendis ipſos Diuinitatis receſſus penetrat, habet aditum ad Paradiſum totius fœlicitatis ſedem, in theſauris æternæ ſapientiæ penitùs abdita myſteria videt, & demum cernit oculis ipſam veritatis formam & pulchritudinem, quâ nihil ſpectari poteſt pulchrius atque præſtantius. Veritas Virgo cæleſtis, Auditores, non ex antro Heracliti eruenda, non ex Democriti puteo haurienda, ſed ex ipſo Diuinitatis fonte, beneficio lucernæ noſtræ petenda eſt. Hæc quippe veri-

tatis omnis index atque examen eſt, hæc nihilo ſeciùs quàm aurum in Indiâ purum probari ſolet, Religionis integritatem probat. Hæc ſolidam & expreſſam, hæc fucatam & fictam, hæc infectam &puram,hæc noſtram veram, aliam adulterinam deprehendit. Hæc denique Chriſtianos veriſſima ſacra profitentes, hæc inanis tantum vmbræ ſectatores Chriſtianos & homines ad-adumbratos oſtendit. Itaque non ſine cauſa Cynicus ille cum viueret, ſi huius lucernæ lumen prætuliſſet, in omnium veterum meridianâ & clariore cognitione quærere potuiſſet hominē, nec tamen in tanta multitudine, (quis credat) vllum inueniſſet? Non Macedonem illumAlexandrum,cuius res geſtæ iiſdem quibus Solis curſus regionibus ac terminis continentur : non patrem ipſum Philippum, calliditate, ſolertia, prudentia, & omnibus principis virtutibus inſtructiſſimum, non Occhum Artaxerxem apud Perſas, non apud Romanos Torquatum, Decium, Papyrium, non denique quotquot virtute, gloria, rebus geſtis apud omnes

gentes illius ſæculi & memoriæ Principes extitere, quos ſi ad Chriſtianæ Theologiæ lucernam inſpexiſſet, non vidiſſet homines, ſed fœdas & immanes belluas, ſed monſtra atque prodigia, ex omnium flagitiorum atque impietatis colluuione concreta. Quid? Ergo ſaltem ætatis ſuæ florentiſſimos Oratores, qui tum Athenienſium dominabantur in concionibus, eminentem vnum inter omnes in omni genere dicendi Demoſthenem, aut eius æmulum Æſchynem, Xenocratem, Speuſippum, Ariſtotelem rei omnis humanæ peritiſſimum, & reliquos ſummos optimarum artium Antiſtites homines agnouiſſet? Minimè gentium! Si enim hos omnes quos commemorauimus, ad diuinam lucernam examinaſſet, non homines, ne dum Philoſophos agnouiſſet. Quid ita? Quia velut noctuæ triſtes & cœcæ ipſi fuerunt rebelles lumini cæleſti, neſciuerunt vias eius, & ſemitas rectas reliquerunt. Quid verò cenſetis, ſi Cynicus reuiuiſcat, & claram Theologiæ lucernam habeat in manibus, quot his temporibus miſeris

ac perditis homines inueniat in terra! Exiſtat igitur ab inferis Chriſtianus Diogenes, diuinæ ſapientiæ lampadem ſumat, & iam non Athenienſe forum, aut Græciam obeat, atque concurſet, ſed luſtret orbem terrarum, atque inter tot populos, tot Imperatores, tot Reges, tot Principes, ſi fortè quos offenderit, homines quærat. Credite & audite rem certam, Auditores, miram hominum paucitatem in mundo comperiet. Traiiciat in Aſiam, tot gentes veſanis fœdi Mahumetis ſuperſtitionibus imbutas contempletur, ſcrutetur ipſam Conſtantinopolim in lucernâ, ineat penetrale Turcicum, Imperatorem illum habitu corporis, ſpiritu terribilẽ, & nomine quaſi ad terrorem compoſito Sultanum Amurathem cernat, hominemne intuebitur, an potiùs portentum hominis humana ſpecie contectum? Percurrat Europam, tam varias ſectas & contaminatas Religiones inſpectet, Britanniam peruolet, Scotiam, Daniam, Succiam, Noruegiam, Germaniam, ac denique orbem omnium peragret terrarũ, Theo-

logiæ lucernam circumferens Catholicus Diogenes,profectò non homines magnam partem ſanæ rationis compotes atque conſilii, ſed hominum ſimulachra, ſed ſpectra, ſed tenues vmbras per inane volitantes eſſe iudicabit.

Iam verò non ſolùm Theologia lucerna eſt lucens, vt videtis, Auditores, quæ tenebras errorum clariſſimâ luce diſcuſſit & mentes humanas illuſtrauit: ſed etiam eſt ardens, (quæ eſt pars altera Orationis noſtræ) quippè quæ calore ſuo ſeu amore caſto & religioſo & pio & ſancto complet vniuerſa. Quò fit, vt quàm illa mirabilis & præſtans, tam benefica & ſalutaris eſſe videatur. Quemadmodum enim Sol, dux & princeps & moderator ſiderum reliquorum, mundo ſimul idem, lucis caloriſque largitur, quo calore omnia generantur, aluntur, & creſcunt: Sic Regina ſcientiarum Theologia, alumnis ſuis cognitionem rerum diuinarum ſimul & amorem impertit. Nam ex luce mentis, voluntatis ardor excitatur, & ex illa rerum ſuperarum

cognitione Religio, Pietas, Sanctitas, Charitas, & reliquæ Chriſtianæ virtutes emanant. Poſtquam enim animus Theologiæ luce illuminatus Deum eſſe ſummum orbis Cōditorem, Rectorē, ac Dominum, omniaque eius numine & conſilio regi gubernarique cognouit, poſtquam admirabilem diuinæ naturæ cum humana copulationem, redditam humano generi ſingulari diuinoque conſilio libertatem, vitæ immortalis promiſſam gloriam, & reliqua certiſſima Chriſtianæ Religionis myſteria perſpexit, conuertit ſeſe ad ſui ipſius contemplationem, vt vnde ortus ſit recordetur, & quò vitæ ſuæ contentiones collineare debeant, intelligat. Tum agnoſcit Deum Optimum Maximum, à quo animum hauſit, & tanta beneficia accepit, ſibi non modo Religione ſummâ colendum, ſed etiam ardentiſſimo amore proſequendum. Verè igitur Theologia orbi terrarum vt lampas ignis apparuit, ſed ignis vehementis atque cæleſtis, qui pulſo antiquo frigore in hominum pectoribus ignotum ardorem excitauit, & ſanctum Di-

uinitatis amorem accendit. Congelarat Auguſtinus, atque adeò ad omnem ſenſum diuinæ Charitatis obriguerat, vt nullam cæleſtis caloris vim ab humanâ ſapientiâ comprehenderet, ſed ſimul ac Theologiæ lampas inflammata ad eum & ardens acceſſit, tantum pectore concepit incendium, vt cor eius amore diuino reliquâ vitâ conflagrarit. Itaque eximiè eximius ille pictorum quiſquis fuit primus, ipſi cor ardens in manus dedit, vt ſummum mentis ardorem quo ferebatur in Cælum ſolertiſſimè deſignaret. Quippè ardebat cæleſtibus flammis cor Auguſtini, neque tamen conſumebatur, ſed magis magiſque diuini illius ignis acceſſione vigebat. Vt illud planè de Aurelij Auguſtini corde dici poſſit, quod de Aurelianenſis puellæ corde memoratur, cuius cor non fuit exuſtum in igne, ſed illæſum atque integrum in medio rogo inuentum eſt. Tanta enituit pietas in morte Puellæ, in cineres cunctos dum flamma reſolueret artus, illæſas cor habet venas (mirabile dictu) vt de ea quondam Valerianus Pariſien-

ſis Theologus cecinit atque teſtificatus eſt. In igne dubium eſſe tradit acer ille ac diligens naturæ inueſtigator, plurane abſumat an pariat. At hæ virtutes nunquam ab igne lucernæ noſtræ ſegregatæ ſunt, qui & confector & conſumptor Idolorum fuit, & miram ſanctiſſimæ Religioni fœcunditatem importauit. Hic enim Ægyptiorum Ibes, Ichneumones, Feles, Crocodilos oppreſſit. Hic in Græcia Iouis, Veneris, Mercurij, & aliorum numinum infandorum ſtatuas & ſimulachra conſumpſit. Hic Romanorum lucos in cineres redegit, hic arbores à Gallis conſecratas exuſſit, hic denique longè illo Chaldæorum Deo potentior, Deos ipſos omnes exhauſit. Dæmones vt leones truculentos terruit, ipſorumque adminiſtros atque ſatellites, vt Annibalis Elephantos, à Romanis & verè Catholicis caſtris repulit, fugauit, auertit. Incredibile eſt, quod de lucerna quadam fertur, quæ olim Iuſtiniano Imperante, Edeſſę, (quæ vrbs Aſiæ Antiochia dicebatur) reperta eſt. Hęc enim, vt fama loquitur, ab ipſis reparatæ

ratæ ſalutis humanæ temporibus intra murum abdita, per quingentos circiter annos ante Chriſti ſignum mirabiliter effulſit. Cuius oleum (horribile dictu) accenſum igne proximo, & in Choſrois Perſarum Regis, Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimi, copias iniectum, eas omnes ſubito incendio corripuit atque conſumpſit. Hæc de lucerna Antiochiæ Franciſcus Citeſius Pictauienſis Medicus ex Cedreno prodidit. Ego verò ſimilem propè dixerim Theologiæ Lucernam, Auditores, quæ tot ſæculis, ſub myſticis Prophetarum velis, & vmbris quibuſdam Moſaicæ legis incluſa delituit. Cum enim diuina planè, non humanâ induſtria ab orbe condito enutrita fuiſſet, pòſt à Chriſto retecta, ſuiſque ſodalibus lectiſſimis, eorumque poſteris per manus tradita, inferorum Tyranni vires aduerſarias, eiuſque ſectarios, Chriſtiani nominis hoſtes infeſtiſſimos, intolerabili ardore diſturbauit ac perdidit. Quid quod igne Theologiæ noſtræ videri vacuum nihil poteſt, qui diffuſus paſſim per omnium aliarum ſcientiarum elemen-

ta mirum in modū elucet. Hic de Theologiâ loquor, Auditores, non ea, quæ vulgò ab argutis hominibus diſputatur in ſchola, ſed quæ ſacris codicibus cōtinetur. Vultis rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem ab ipſo vniuerſitatis primordio cognoſcere? Ecce certiſſimus vetuſtatis nuncius Moſes enucleabit. Poetices amœnitatibus & deliciis delectaris? Adi Regum ſanctiſſimum in Pſalmis, audi ſapientiſſimum in Canticis, ſexcentas inuenies. Vim eloquentiæ & facultatem orationis exoptas? Incredibilem tibi, diuini in dicendo viri vates, & cum primis ille Gentium Doctor Paulus fulgentiſſimo ſuo ac cæleſti ore producent. Libet indagare naturam rerum & cauſas? Hoc de ſuâ vi ac ſapientia Theologia noſtra vna verè profitetur. Omnem benè viuendi rationem tenere ac perſequi cōcupiſcis? Vtriuſque legis tabulæ, & præcepta Salomonis abundè ſuppeditant. Ab his fontibus omnes hauſere, qui habiti ſunt inter Gentes ſapientiſſimi, hinc Orpheus, hinc Pythagoras, hinc Plato, hinc Ariſtoteles, hinc denique

omnes præclari in Philoſophia ac nobiles, vt cum Tertulliano loquar, potauerunt. Quid quæris? Quicquid habet ſucci, puri, & ſanguinis incorrupti doctrina Gentiū, id à Theologia noſtra traxit, quæ vt fœcunda parens omnia generationibus ſuis impleuit.

Salue igitur, lucerna lucens & ardens. Salue lux ſoli, lex cæli, vita animorum, parens omnium & regina ſciētiarum Theologia. Tu diuinitus in terras de cælo delapſa errorum tenebras tuâ luce diſcuſſiſti. Tu ſoporem ex mortalium animis expuliſti. Tu ſerpentes & graſſantes feras in latebras conieciſti. Tu homines ad veritatis lucem erexiſti. Tu viam certam atque directam in cælum aperuiſti. Tu cælo terras coniunxiſti Tu in adytis arcaniſque Dei latitantia miracula, quaſi ipſa ſis artifex, & inaudita myſteria retexiſti. Tu lucerna verè ardens hominum animos torpentes ac frigidos excitaſti. Tu ſtudio diuinitatis inflammaſti. Tu conſumens ignis lignea verè & ſine ſenſu Gentium ſimulachra incendiſti. Tu fœcundus ignis vera ſcientiarum atque artium

ſemina procreaſti. Tu denique clara, pura, pulchra, delectabilis. Quid amplius dicam? Verè tu lucerna, quæ ſemper ardes & nunquam extingueris. Memoriæ proditum à locupletiſſimis ſcriptoribus legimus, ſanū olim quoddam Veneri ſacrum fuiſſe. Cuius in veſtibulo lampas erat, quæ ſub dio licet, aëri ex omni parte patenti atque aperto eſſet expoſita, flammam alebat tamen (verum dictu) ſic ardentem & viuam, vt eam nulli ventorum flatus, non imbres maximi, non turbidæ tempeſtates extinguerent. Vnde λύχνυ ἄσβεςυ, ſiue inextinctæ lucernæ ab immortali ac perenni illâ flamma nomen traxit. Idem ſanè quod celebratiſſimæ huic lampadi, lucernæ Theologiæ noſtræ contigiſſe videtur, Auditores. Nam cum profani Cæſares in eam vehementiſſimas tempeſtates excitarent. Cum Hæreſiarchæ peſtifero halitu viuidum eius lumen afflarent. Cum ipſi inferorum ſpiritus impuri atque infandi violentos turbines in omnibus terræ partibus ad illius interitum commouerent, tantam vim habuit cæleſtis hæc lampas, vt

non ſolùm inuiolatam dignitatem obtineret, verùm etiam excitatas tempeſtates clariſſimo fulgore diſpelleret. Quid Iuliani furores perſequar, quibus accẽſus perfuga nefarius, machinas omnes adhibuit, vt Chriſtianas ſcholas, è quibus, velut è tabernis inſtructis & ornatis, in huius lychni alimẽtum omnis optimi olei copia petebatur, clauderet ac tolleret. Quid cæterorum Principum impetus atque cónatus, qui quaſi pro vitâ atque imperio contenderunt, vt ortam diuinitùs hanc lucem in omnium animis extinguerent. Quid referam innumerabilium Hæreticorum exitiales afflatus, qui iam indè à principio Eccleſiæ conati ſunt, non modò hanc lucem opprimere, ſed etiam pro ſuis quiſque viribus lucernam ipſam infringere? Primus afflauit ſacrilegus Simon, Hæreticorum caput, qui ſibi impiè atque nefariè Diuinitatem aſſeruit. *Sabell. hiſtor. Hæreſ.* Afflarunt Ebionij, qui mortalem Chriſto Patrem tribuere non erubuerunt. Afflarunt Cerinthus & Nicolaus, qua tempeſtate florebant Apoſtoli.

Afflarunt ſecutis temporibus Valen-

tiniani, qui humanitatem ſuſtulerunt, ac fuiſſe ante Matrem Chriſtum affirmarunt. Afflarunt Noetas atque Sabellius, qui diuiniſſimam Triadem confuderunt, & naturam vnam, vnam & perſonam eſſe defenderunt. Afflauit ſuperbus Samoſatenus, qui diuinam Filio naturam derogare auſus fuit, qui nil eſſe Verbum, præter inanem ſonum, mox in auras abiturum, aſſerere non dubitauit. Afflauit ſubindè inſanus Manes, qui geminam diuinitatem inuexit. Afflauit penè toto orbe terrarum Arius, qui Filium Patri diſſimilem non ὁμοούσιον, non genitũ, ſed factum eſſe prædicauit. Afflauit veterator Neſtorius, qui naturas ſeparauit, qui non Dei Filium, ſed hominem pro ſalute hominũ cruci affixum eſſe pronunciauit, qui θεοτόκα Virginis honorem impugnauit. Afflarunt, variis erroribus atque temporibus, Macedonius, Nouatus, Donatus, Iouianus, Pelagius, Eutyches. Afflarunt denique hoc ſæculo postremi inferorum folles Lutherus atque Caluinus, qui (vt cæteras peſtes omittam) Deum Optimum & Maximum peccati

autorem & cauſam eſſe voluerunt. Nullis tamen afflatibus, neque ventis, neque teterrimis ſpiritibus diuina Theologiæ lucerna extingui potuit, ſed inuitis ac reluctantibus ipſis inferorum poteſtatibus ardens & inextincta ſemper eius flamma reluxit, vt ſolet à ventis alimenta reſumere quæq; parua ſub inducta latuit ſcintilla fauillâ creſcere, & in veteres agitata reſurgere vires. *Ouid.* Mortales quidem Theologi, Theologia verò immortalis. Sed præcipuè Theologia Pariſienſis, Auditores, ſupra omnes ſemper, quæ ab omni memoria claruerunt, ſui fulgoris admirationẽ excitauit. Sola vetuſtatem tulit, & non ſenſit. Sola interitum neſcit. Sola non paucis in orbe terrarum aut oppreſſis aut extinctis, Bannochorenſi, Oxonienſi, Cantabrigienſi in Anglia, in Batauia Lugdunenſi, VVittembergenſi in Saxonia, Hildebergenſi & Argentinenſi in Germania, & reliquis magnam partem caligãtibus & cæcis: ſola, inquam, Pariſienſis Theologia inuicta, immortalis, æterna ſtetit. In qua ſiue Societates intueamur ſingulas, ſiue corpus

contemplemur, vbique maximus ſplendor perſtringet oculos, & admirabilitatem ſummam faciet. Offert enim ſeſe Sorbona, omnium illuſtriſſima, quæ abhinc tot ſæculis, ſingulari Chriſti dono, & incredibili Chriſtiani orbis bono viget immenſùm ac fulget. Quæ (licet in ea lapſu temporum fungi quidam putres concreuerint) tot Doctores habet illuſtres atque præclaros, qui cæteris profeſſoribus clariſſimum ſemper virtutis atque doctrinæ lumen prætulere. Eſt enim Andreas Duvallius, is qui omnium bonorum teſtimonio, totiuſque iudicio Galliæ cum ſapientiâ & doctrinâ, & ingenij magnitudine, tum verò & morum integritate, & vitę ſanctitate in omni genere virtutis omnium facilè princeps. Cuius ſingularis pietas atque prudentia, non modò per Galliam plurimis celebratę ſcriptis, literiſque peruagantur, verùm etiam Alpes & maria tranſgreſſę, in Italiam Romam vſque cum incredibili laude peruolarunt.

Eſt ille, non tam linguę, quàm animi ac virtutis Magiſter Petrus Clericus, de

quo

quo iure merito dici poteſt, quod apud Ennium de ſe dicebat Apollo Pythius, eſſe eum, vnde ſi non populi & Reges, at omnes ſacrorum Antiſtites diuinis in rebus conſilium expetant, quos ille ſingulari prudentia, ex incertis certos, compoteſque conſilij dimittit, vt ne res temerè tractēt ſacras. Eſt verò Nicolaus Yſambertus, quo homine nemo doctior acutior, atque in rebus vel indagandis vel explicandis ſubtilior eſſe quiſquam poteſt. Eſt etiam Iacobus Hennoquinus, veritatis Doctor amiciſſimus, homo in tantum laudandus, in quantum intelligi virtus & veritas poſſunt. Eſt deinde Ioannes Daultruyus, in diuinis codicibus intelligendis interpretandiſque ſcientiâ, vſu, autoritateque præſtantiſſimus. Eſt poſtremò Iacobus Leſcotus, cui Gamacheus, quaſi curſor egregius, Theologiæ ſimul ac vitæ lampadem tradidit, ad ſummam efflorescens ſapientiæ gloriam qui propter eximiam eruditionem & virtutem eodem penè gradu ad Doctoris decus atque Regii Profeſſoris honorem aſcendit. De Sorbona

adhuc loquor, Auditores. Quis verò in Sanctorum ſplendoribus, hoc eſt Religioſorum Theologorum eruditione atque doctrina defixus nō ſtupeat? Lucet in Carmelo Borgoinus, in Dominicæo Damorius, in Franciſcæo Meuriſſius, in hoc Auguſtinæo Reuerdius. Sunt innumerabiles alij, qui per omnes Familias puriore lumine clari fulgent quaſi ſplēdor firmamenti, atque clariſſimis ingeniorum luminibus, ſi fortè habeat Theologica lampas, vmbras aliquas illuſtrant. Cleombrotum Lacedæmonium ferunt in Iouis Ammonis fano lucernam ſolam fuiſſe miratum æternam, quod illa poſteriore quouis anno olei minùs abſumeret. At quanto magis diuinam Theologiæ lucernam mirari debemus, quæ hoc tam erudito doctiſſimorum hominum ſæculo, tam planis pleniſque commentariis manifeſta eſt atque perſpicua, vt conſequentibus temporibus longè minùs olei atque expoſitionis poſtulare videatur. Vt enim omittam tot codices, qui à maximis viris exquiſitiſſime conſcripti Theologiam illuſtrant, habemus in

Plut.

manibus Philippi Gamachei nuper extincti noua volumina recens in lucem edita, quibus Theologorum Pariſienſium grauiſſimus, & diſertiſſimus, diuinam, quam hic oratione commendamus, diſciplinam ornate, copioſeque dilucidat.

Habetis ergò primùm, Auditores, diuinæ lucernam ſapientiæ, & fulgorem illius immortalem atque virtutes mirabiles ſuſpicere potuiſtis. Nunc autem quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, pennas deargentatas & rutilas pallore auri, & volabo in Oliuas pulcherrimas, eaſque vobis quantulacumque noſtri celeritate ingenij explicabo? Sed antequam illas conor attingere, olei & operæ pretium facturus eſſe videor, ſi propono breuiter quid de vniuerſa figura diuini Vatis ſentiant Interpretes. Candelabrum quidem, lucernis ſeptem diſtinctum clariſſimis, quale prius erexerat, admirabilis illius effictor Tabernaculi & molitor Moſes, vt ſcribunt Latini & Græci, tum etiam Hebræi, qui earum rerum quæ ſacris in voluminibus inuolutæ ſunt, ſapientiſ-

ſimi ſemper habiti ſunt Interpretes, ſignificat Stellas ſeptem, quas errantes ſeu Planetas, propter eorum motum, tarditate & celeritate diſſimilem, appellamus. Per lampadem verò, quæ ſupra Candelabri caput conſtituta fulgebat, circulus octauus, tot ſyderibus illuminatus, deſignatur. Quoniam denique Oliuæ oleum in lampadem & lucernas ſeptem ad luminis nutrimentum infundunt, per Oliuas duas orbem nonum ac decimum luculentus Autor intelligit: ex quibus, tanquam ex ſuperioribus fontibus, in inferiores Sphæras lux omnis emanet. Quod quàm appoſitè explanarit, diſputent eruditi. Mihi verò, Auditores, Oliuæ duæ, quas ad dexteram Candelabri, & ad ſiniſtram adſitas diuino numine inſtinctus Zacharias vidit, altera quidem Auguſtinum, Thomam Aquinatem altera, ſummos ſacræ Facultatis diuos Antiſtites egregiè repræſentant. Nam ſimile viſum quoddam eaque ſpecie par illud Sanctorum doctiſſimum ſibi oranti narrauit oblatum Albertus Breſſius, vir Ordinis ſui nominatus impri-

In vita D. Thomæ.

mis. Tum nihil aptius mihi venit in mentem, quàm eum præcipuè interpretari Doctorem, qui eſt huius Domus, in quâ mihi dicendum fuit, autor & parens celeberrimus. Lugduni quondam magnificentiſſimum fanum, ad confluentem Araris & Rhodani, à Gallis vniuerſis publicis ſumptibus extructum fuit, & Auguſto Imperatori dicatum, (nunc Atanacenſe Cœnobium nuncupant.) At quantò religioſius & ſanctius videtur hoc Templum Lutetiæ, in VrbeRegni domina poſitum ad Sequanam, quod Auguſtini nomine inauguratum Gallia veneratur omnis. Quippè hæc eſt verè domus orationis, cella ſanctitatis, ædes cæleſtis Sapientiæ, ſedes prima Regiæ Majeſtatis, templum ſacri Conſilij, delubrum Virtutis & Honoris, auguſtiſſimum denique AuguſtineæFamiliæ domicilium, quod initio regni Ludouicus XIII. Rex Chriſtianiſſimus, & Franci proceres, quod nobiliſſimorum Equitum delibati flores, quod delecti Eccleſiæ Gallicanæ Senatores de maximis rebus deliberaturi de more complexuerunt. Præ-

ptereà Thomã Auguſtino comitem adiungimus, quod hunc ille totum mirâ ſanctitatis & eruditionis ſimilitudine quaſi Filius Patrẽ exſcripſerit. Hoc eſt illud, quod memoriâ noſtra incomparabilis homo doctrinæ, & in tractandis penſitandiſque vtriuſque ſcriptis exercitatiſſimus Cardinalis Perronius, hominibus non mediocriter à doctrina ſuarum partium inſtructis oſtendiſſe fertur, cum illis repugnantibus, & Thomam in hoc genere ſingularem defendentibus, ambo doctrinâ, iudicio, atque ſententiâ geminos planè & ſimillimos eſſe demonſtrauit. Sed ita ſubtiliter & copiosè, vt quicquid à Thomâ concluditur, id in Auguſtino, ſi non elucere, ſaltem eminere videretur. Quemadmodum igitur, adhibita explanatione Interpretis, quem ſuprà laudauimus, neceſſe eſt ex illis duabus Sphæris alteram eſſe totius originem lucis atque principium: ſic in Oliuis noſtris Auguſtinus ſanè, eſt Auguſtus ille Princeps, qui quam conſecutus erat vim ingenij, impertiuit eam Thomæ, & florentem ſuam cum eo doctrinæ

præſtantiam communicauit. Quos autem potius per Oliuas explicare debui, quàm eos, qui dum viuerẽt in terris homines, ſcripta fœcundiſſima atque ingeniorũ vberrimos fœtus, quaſi quoddam oleum, ad hanc Theologiæ lucernam & alendam & augendam, quaſi è compacto, contulerunt? Athenis quondam ante ſignum Mineruæ in Templo collocarat lucernam ex auro Callimachus, tanto artificio effictam, tantaque elaboratam induſtriâ, vt oleum ſemel infuſum niſi anno exacto, non conſumeretur, cum tamen dies ac noctes ſummo naturæ miraculo iugiter arderet. At huius olei longè optimi tantam vim tantamque copiam profuderunt Oliuæ noſtræ præſtabiles, quantam nulli anni conſument, aut ſæcula nulla corrumpent. Præclarè igitur, Oliuas vberes, pulchras, fructiferas, ſpecioſas vocaui nomen ipſorum. Hæ ſunt quippè vberes Oliuæ, quæ dilexerunt iuſtitiam, & oderunt iniquitatem: proptereà cæleſti gratia, oleo lætiſsimo, præ ſujs conſortibus mirandum in modum exundarunt.

Pauſ. in Attic.

Ierem. 11.

Pſal.

Hæ ſunt Oliuæ pulchræ, quarum pulchritudo nunquam deflo:eſcet. Hæ ſunt Oliuæ fructiferæ in domo Dei, quæ nunquam defluent aut peribunt. Hæ ſunt Oliuæ ſpecioſæ, in campis Eccleſiæ ſatæ, quarum aſpectus incredibiliter oblectat. Hæ ſunt Oliuæ pullulantes, quarum oleum quæ redolent opera, nunquam mentientur. Hę ſunt Oliuę, quarum oleo verè maſculo & generoſo Caſtor & Hercules, hoc eſt, excellentes Theologi, & maximi quique Doctores vnguntur. Hę ſunt Oliuę, quarum mirificus calor cum ſit corporibus ſalutaris, commiſſuras marmorum, hoc eſt peruicaciam obſtinatæ voluntatis impiorum labefactat atque diſſoluit. Hę ſunt tardè quidem creſcentes Oliuæ, Religione altera, altera ingenio (vt creditum ſub Alberto) ſed quæ diutiſsime durent atque efflореſcant ęternis defixę radicibus, quamdiu videlicet diuina Theologiæ lampas, quam oleo nutriuerunt, luminibus accenderunt, lucubrationibus ac vigiliis conſeruarunt, illuſtris ac fulgida permanebit. Denique iſti ſunt

duo

duo filij olei, quorum alter Auguſtinus, cum oleaſter eſſet (vt Apoſtoli verbis vtar) contra naturam in bonam Oliuam inſertus, radicis ſocius & pinguedinis Oliuæ factus fuit. Alter verò Thomas, à prmo ortu tener & mollis, ſecundùm naturam inſertus Oliuæ ſuæ, quocumque eum impulit aura cæleſtis, facilè ſecutus eſt. Ambo florentes ingeniis, doctrinis vberes ambo, Religione pares ambo, diuino amore pares, pares labore, pares præmio. Omnia denique in omni virtutis & laudis genere in Thomâ paria & Auguſtino. Hic nobiliſſimi Ordinis fundamentum fuit, ille ornamentum ſui. Hic Dux Eccleſiæ, ille lux extitit. Hic flagellum Hæreticorum, ille verò flabellum, qui quos impendentes Eccleſiæ proſpexerat nimbos, Hæreſeωn, potentiſſima eloquiorum ſuorum virtute difflauit. Hic innumerabiles filios, ſicut nouellas Oliuarum in circuitu terræ conſeuit: Ille autem irrigauit montes, id eſt ſummos Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores de ſuperioribus ſuis cæleſtibuſque doctrinis, & de fructu

ſuorum operum ſatiata eſt terra. In vno tantum diſpares, quod alter egregiæ dignitatis honore cumulatus, alter eximiæ caſtitatis flore decoratus fuit.

Sed quid in iſtis oleis ſuſpenſus diutiùs moror, mirorque pulchritudine florum captus, & dulcedine baccarum illectus? Iam me dudum vocat lucernarum aliarum ſeptem fulgor, & quid illæ repræſentent monet eſſe dicendum. Nunc igitur quoniam ſatis ſuperque flores Oliuarum delibaſſe mihi videor, fructuſque deguſtaſſe, deſcendam: & ſi antè ſub tam opportunis Oliuarum iſtarum, quæ ad opacandum hunc locum orationis noſtræ tam iucundos diffudere ramos, vmbraculis paululùm reſpirauero, pergam, & inſequar, quod mihi copioſiſſima illa lucernarum ſeptem lumina, præmonſtrarunt.

Quod ſummi Poëtæ facere ſolent, vt non ſolùm in primordiis operum ſuorum Muſas inuocent, ſed prouecti quoque longiùs & medium ferè curſum tenent, repetant vota, & velut nouâ precatione vtantur. Mihi ſimili-

ter eſſet optandum, quod è portu egredientes fecimus, vt non profani cuiuſdam Apollinis numen, ſed idem diuinus Spiritus, qui Prophetæ mentem afflauit, cœleſti vi & impetu, noſtram quoque excitet atque impellat, quo poſſimus reliquum orationis curſum tenere fœliciùs, & omnia vobis, quæ mihi conſtituta ſunt facilius exponere. Vos verò, Auditores eruditiſſimi, oro atq; obſecro, vt adhuc me attētè audiſtis, item quæ reliqua ſunt benignè auſcultetis. Nihil à me profectò dicetur, quod non dignum hoc conuentu & ſilentio, dignum veſtris ſtudiis atque auribus eſſe videatur.

Lucernæ illæ ſeptem, Auditores, quas diuinus Vates in Candelabro conſpexit, totidem viros egregios, quos hic numero ſeptem ſpectatis, præclarè animo meo deſignarūt. Quidni autem Doctores ſapientiæ lucernas appellem, qui ad Iuſtitiam erudiant multos, fulgeant in firmamento Eccleſiæ, & clariſſimis doctrinæ luminibus Chriſtianorum mentes, obſcuritatis & ignorantiæ nocte diſſipata, collu-

ſtrent. Quare non immeritò doctiſſimi Græciæ viri, iidemque antiquiſſimi hominem φῶτα nuncuparunt, quâ voce quoque lumen expreſſere, vt innuerent Deum mentem in nobis, quaſi ſplendidiſſimum lumen, accendiſſe. Vnde non pauci è cœtu illo Philoſophorum naturam animæ ignem eſſe dixerunt. Quare intelligebant, opinor, hominis animum virtutibus & diſciplinis excultum inſtar ignis emicare. Atque hæc, Auditores, quæ dicuntur à nobis, faciliùs credetis, ſi repertos eſſe homines aliquando recordari volueritis, qui è corporibus ſuis (quod mirum fortaſſe multis aut incredibile videatur) lumen emiſerint. Vt enim *Liu. Plin. Valer.* de Tullo Hoſtilio taceam, magnus Alexander in India prælio circumuentus lumen & ignem ex ſe profundere viſus eſt. Ita Theodorici pater ſcintillas ignis ſic ex toto corpore profudiſſe fer- *Cardan.* tur, vt ex ipſo micantes flammæ hinc inde etiam cum ſono proſilirent. Similiter cuidam Carmeli ſodali per annos tredecim continuos, quoties retrò caput auerteret, ignis è crinibus

erumpebat. Vndè non abſurdè de Aſcanio, Poëta ſapiens dixit: Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iüli fundere lumen apex, tactuque innoxia molli lambere flamma comas, & circum tempora paſci. Quid quod Edmundo Britanno Doctori Pariſienſi idem contigiſſe ſcriptores produnt: cuius olim caput à matre viſum fuit coronâ cinctum fulgentiſſima, quæ radios & ſcintillas rutilas in cœlum vſque vibraret. Quin ipſe vir ſanctus, cum publicè profiteretur in Academia Pariſienſi, ſibi videre viſus eſt in ſomnis medium ignem accenſum in ſchola, è quo faces ſeptem ardentes exirent, quibus deſignabantur adoleſcentes ſeptem eruditi ac nobiles; qui poſtridie manè chariſſimo præceptore ſalutato diſceſſere, vt Ciſtercienſis militiæ caſtra inirent, quem ordinem, miris modis illuſtrarunt. Sed quid exempla memoramus, & autorum teſtimoniis abutimur, cum ipſum cœli Dominum autorem habeamus? Diſcipulos enim ſuos coràm laudans, eos mundi lucem appellat. Et vt nemo lucernam accendit, & in ab-

Æneid. l. 2.

ſcondito loco ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant: ità illorum exſplendeſcentem animi virtutem celari & occultari non poſſe confirmat. Id autem impulit Paulum diuinum hominem, vt ad Philippenſes ſcribens, eos admonuerit, vt eſſent ſine querela & reprehenſione in medio nationis prauæ atque peruerſæ, ſed lucerent inter omnes inſtar ſiderum, lumenque ſuum longè latéque diffunderent. Vnde concluditur id quod quærimus, viros ſapientia pari ac virtute præditos non immeritò lucernas appellari. Quis ergò mihi iure ſuccenſeat, ſi horum ſpectatiſſimorum hominum ſingulos ſingulis eximiis antiquorum lucernis pro captu mediocritatis meæ conferre inſtituam? Quod vobis vt planiùs exponam, paulo altius repetam & breuiter, quæ de lucernis veterum monumenta non contemnendi ſcriptores memoriæ prodiderunt.

Licetus de Lucernis.

Erat hoc in more poſitum & conſuetudine veterum Romanorum, vt in lucis & nemoribus ſacris, præcipuè

verò in ſepulchris hominum vita functorum lucernas reconderent. Quod autem In iis maximè admirandum fuit, ea arte & natura confectæ erant, vt annos multos, imò ſæcula integra, fomite nouo nullo adiecto, in monumentis accenſæ conceptum ignem retinerent, qui tamen immiſſo vel tenuiſſimo aëre ſtatim euaneſceret. Quod cum multa ſcriptorum teſtimonia, tum etiam plures quæ in Italia paſſim inuentæ ſunt, & noſtra & patrum memoria lucernæ declarant. Eo autem conſilio lucernas à Romanis in buſtis ſuis reconditas eſſe cenſent autores grauiſſimi, vel quod in ea opinione erant, vt crederent animas hominum elapſas corporibus, immortales circum terram ipſam & monumenta verſari: ſiue (quod vero proximum eſt) vt æternam poſteris nobilitatis & virtutis ſignificationem darent.

Ex qua verò materia conflatæ, quave ratione tot annos perdurare poſſent, variæ ſunt doctiſſimorum hominum diſcrepantéſque ſententiæ. Sunt enim Philoſophi, qui in recludendis Priſco-

rum monumentis fulgorem illum, qui ſtatim viſo aëre euanuiſſe viſus eſt, nullam fuiſſe cenſerent lucernæ flammam, ſed corpus pellucidum extitiſſe in tenebris mirè coruſcans. Auguſtinus autem, eruditiſſimus homo & penè diuinus, id virtuti Dæmonum aſsignare non dubitauit. Simon Maiolus, Præſul doctiſsimus, ſingulari miraculo & diuinæ potentiæ aſcripſit. Iacobus Gutherius fuiſſe pulueres quoſdam aſſeuerauit, qui ab aëre ingrediente dum aperirentur detecta nouiſsimè ſepulchra flammam tum primùm conciperent, cum anteà nunquam exarſiſſent. Ioannes Baptiſta Porta Neapolitanus, autor nominatus, affirmat id factum, ne vacuum, à quo natura tantopere abhorret, admittatur: aut certè quod fumi è materia facili ad exardeſcendum vi ignis exhalantes, iterùm in liquorem, qui facilè flammam concipere poſsit, perpetuâ conuerſione cogi poſsint atque denſari. Franciſcus Citeſius Ellychnium iſtiuſmodi lucernarum ex Amianto confectum, quod lapidis genus ab igne non conſumitur, oleum-

oleumque arte Chymica è metallis eductum ſine vlla dubitatione defendit. Lazius, homo literarum veterum diligentiſſimus, vim illam & naturam putat auro liquido eſſe tribuendam. At Libauius ramentis atque minuſculis particulis Gagatis, qui lapis (mirum) accenditur aqua, oleoque ſolo reſtinguitur, quemadmodum Plinius, rerum omnium memorabilium & æſtimator acutus, & admirator diſertus ſcriptis ſuis tradidit. Denique (vt breui præcidam) tanta ſunt in varietate ac diſſenſione, qui eâ de re ſcripſerunt, vt adhuc ſub iudice lis ſit, nec quidquam certi per tot homines tam ingenioſos etiam nunc ſtatui potuerit. Vt vt ſit, certè hoc conſtat, tam admirabilem artem, tamque ſolertem atque ſubtilem operum illorum fabricam, quæ veteribus explorata & perſpecta, atque adeò in vſu apud omnes erat, hominibus noſtris, quantumuis acutis, & maximis rerum antiquarum comprobatoribus atque æmulis penitùs incognitam & occultam extitiſſe.

Sed vt eò reuertamur, vnde noſtra

deflexit Oratio, iam Lucernas noſtras, ſed verè lucernas in ſepulchris, corpus quippe ſepulchrum eſt animæ, & σῶμα σῆμα, quod Græci dicunt; hoc eſt Theologos noſtros clariſſimos, qui in hoc loco ceu luco quodam ſacro, conſpectuque veſtro pariter fulgere cernuntur, ſeparatim ponamus ob oculos, & ſingulares ſingulorum dotes, virtuteſque claras & inſignes ordine diſpiciamus.

LVCERNA I.

SEV

ELOGIVM I.

Martinus Delrio. Volphangus, Lazius, Grugerus, &c.

NARRANT autores locupletes, inuentam olim fuiſſe in agro Patauino lucernam admirabilem in vrnâ fictili, inter ampullas duas, auream alteram, alteram argenteam, puriſſimo quodam liquore plenas, cuius virtute lucerna illa per an-

nos multos accenſa ſub terra permanſerat: Hanc Maximus Olybius egregio quodam & miro artificio factam Diti patri, qui Dis eſt apud Græcos πλύτων, dedicauit; Nam in vrnâ maiore hæc carmina legebantur.

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc, quod in orbe latet.
Namq; elemẽta graui clauſit digeſta labore,
Vaſe ſub hoc modico maximus Olybius.
Adſit fæcundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne tanti pretium depereat laticis.

In alterâ verò vrnâ minore tales erant exarati verſus. Abite hinc peſſimi fures, vos quid vultis veſtris cum oculis emiſſitiis, abite hinc veſtro cum Mercurio petaſato caduceatoque, donum hoc maximum Maximus Olybius Plutoni ſacrum facit.

Hæc lucerna (iudicio meo) paratum & aptum ornatiſſime D. Præſentate, laudis tuæ, argumentum ſuppeditat. Tu enim non ante natus es, quam deſtinatus, non Plutoni Veionique regnatori noctis & arbitro, ſed

Chriſto lucis luci, luminiſque omnis fonti, ariſque ſanctiſſimis, velut Nicolaus alter Tolentinus, veſtri decus Ordinis, ab optimis parentibus præſentatus fuiſti atque deuotus. Itaque vix annum ætatis decimum compleueras & inſignem futuræ claritatis cœpiſti ſignificationem dare. Nam in hoc Auguſtinæo renatus Ordine, Deoque Optimo Maximo in munus ſacrum oblatus continuò tantum declaraſti lumen; non ingenij modò ad percipiendas diſciplinas, quo nullum in æqualibus tuis præſtantius fuit, ſed bonæ indolis, modeſtiæ, pietatis, religionis, vt ſapientiſſimi Patres Ordinis tibi principem tribui in hoc ſtudij & doctrinæ genere locum, teque vnum eminentem inter omnes ſacræ Facultati Theologorum, vt pretioſiſſimam gemmam præſentari poſſe iudicarent. Poſtquam autem ad Magiſterij gradum ſimul & Sacerdotij decus conſcendiſti, diffudiſti continuò lucem eruditionis præclaræ, quam ex puriſſimis humanarum diuinarumque ſcientiarum fontibus hauriebas. Etenim lectiſſimum Re-

ligioſæ iuuentutis cœtum, cui iam annos quinque liberales artes inſtillaras, clariſſimis Philoſophiæ diſciplinis inſtituiſti. Tum verò diuinorum ſtudiorum præfectus es: deinde in curâ rerum domeſticarum ac ſacræ totius adminiſtratione familiæ, tanta cum fide & diligentia verſatus, vt omnes in te, tanquam in lucernam ſplendidiſſimam, & virtutis omnis exemplar oculos conuerterent.

Quæ cum ita ſint, apagete; ſi qui forte aut eſtis aut eritis aliquando Sycophantæ, aduerſarij, maleuoli, inimici, tam glorioſorum laborum obtrectatores, tot virtutum hoſtes, tot laudum inimici. Profectò ignota ſunt vobis, quæ in eo ſacrario intimo latent innumerabilia ſigna virtutum. Adſit intereà præſens, doctiſſime D. Præſentate, diuini numinis auxilium, ne qua tot tuorum tantorumque vnquam meritorum deceſſio fiat, ſed acceſſio potiùs non vulgaris in dies: vt quemadmodum nunc lucet lux tua coram hominibus, & Præſentatus in terra in hoc frequentiſſimo doctiſſimorum vi-

rorum conſeſſu ſingulari laude cumularis, ſic in cælo Præſentatus olim, vt lampas ante thronum ignem in diuinis vaticiniis Ioannes commemorat, ſempiterna luce perfruaris. Dixi.

LVCERNA II.
SEV
ELOGIVM II.

Herod. l. 2. MYcerinvs Ægypti Rex, cuius nomen, propter eximiam clementiam & pietatem, magnâ fuit apud omnes Ægyptios gloria, cum mortem filiæ ſuæ, quam vnicè diligebat, grauiter doleret, eam excellentiori quodam ſepulturæ genere affici voluit. Quamobrem eius corpus in ligneâ boue vndique inauratâ reconditum in Vrbe Regia Sai, in conclaui magnificè exornato collocauit. Cum autem eo in loco ſingulis diebus odores omnis generis a-

doleri iuſsit, tum verò vt totas noctes lucerna perpetuò accenſa fulgeret. Verè mihi videor eſſe dicturus, eruditiſſime Domine, te lucernam quandam eſſe pręclaram, cuius fulgor non modo non continetur Eduenſi Gymnaſio, cuius præfectus ac moderator es ſummus, ſed nec ipſa Lutetia Regni Domina, atque adeò Gallia Lugdunenſi patria tua, tot ingenioſorum parente ac nutrice virorum. Tu enim omnium æqualium cum ſis Theologica illa doctrina, (quæ ventilatur in ſcholis) eruditiſsimus, & ingenio prudentiaque acutiſsimus, & oratione maximè limatus atque ſubtilis, & quod caput eſt, in ſacrarum literarum tractatione atque curâ tantopere exercitus: profectò non mirum, ſi tam perſpicuam in mediis Ægyptiorum tenebris, hoc eſt aduerſariorum erroribus lucem præferre ſoleas.

Huius autem lucis incredibilem vim atque virtutem Albertus Magnus, reconditarum naturæ rerum perſcrutator acerrimus, indicauit. Scribit enim Ellychnio ex Delphini pinguedine, ac *Ioan. Bapt. Porta in magia natur.*

cera quæ à Sole albeſcat, confectò ſi lucernam ad lacuum ripas accenderis, eam illi facultatem & vim à natura inditam, vt ad eius aſpectum continuò ranæ blaterantes penitus obmuteſcant. Quanquam Africanus (iudicio meo) ad veritatem certius in Geoponicis Græcis, eam ait omni lucernæ virtutem inſitam, vt valeat animalis huius moleſtiſsimam loquacitatem retardare. In ranis (inquit Auguſtinus) Hæretici deſignantur, qui in Chriſto multa eſſe falſa dicunt. Ranæ ſunt clamantes in paludibus limoſis per ſuperbiam & inanem contentionem, obſtrepitum vocis habere poſſunt, doctrinam verò ſapientiæ inſinuare non poſſunt. Qui enim veritati Chriſtianæ contradicunt, & in ſua vanitate decepti decipiunt, ranæ ſunt tædium afferentes auribus, non cibum mentibus: Quibus ſubtiliter ſimul vtiliterque lucernæ noſtræ dignitas commendatur. Quid enim aliud pinguedo Delphini, niſi Regis amorem & Regni? Quid verò cera, niſi ingenuum & facile, & ad bonum omne flexibile, ingenium

genium ad diuinæ Sapientiæ Solem compoſitum repræſentat? Quarum virtutum copia, vir ornatiſſime, mirificè circũfluis. Vnde partes tuas multò maximas grauiſſimaſq; arbitratus es, vt qua perſpicaciſſima mentis acie, & excelſo animo & ſingulari ſapientia colluces, loquacitatem comprimas importunam & fatuam Hæreticorum noſtrorum, qui de ore Draconis, hoc eſt Lutheri, & de ore beſtiæ Bezæ, & de ore Pſeudoprophetæ Caluini, trium immundorum ſpirituum, ranarum in modum emerſerunt. Varro Romanorum doctiſſimus autor eſt, in quadam Galliæ ciuitate incolas ranarum multitudine pulſos eſſe. Næ Hæretici ranæ luteæ & cœno oblitæ, non vnas tenent Vrbes Galliæ, in quas ciuibus non ſolùm eiectis, ſed plerumque crudeliter enectis inuolarunt. At enim dum iſtas ranas nutriculas ſeditioſorum atque perduellium, quæ Regni quietem auertunt, pacem & otium turbant, in ipſo littorum Oceani cœno merſas Ludouicus noſter Rex inuictiſſimus armis obterit atque contundit, donec tan-

dem penitùs attrita ſit ciuitas illa vanitatis. Tu cum primis innato atque inſito publicæ ſalutis ſtudio flagrans, tu oleo verè lilio, quod ſubtiliſſimum & penetrans maximè Plinius ait, inflammatus, ranas iſtas & rabulas è lacu Lemano coaxantes doctrinæ tuæ claritate perterrebis. Quare, age, vir præſtantiſſime, in eo contende atque elabora, vt lucem iſtam, quâ hactenus Æduenſe Gymnaſium, (quod longo interuallo vllius Doctoris alumni ſui inſignibus tituliſque condecoratum abſque te non fuerat) exſplendeſcit, foueas & magnis in dies acceſſionibus augeas.

Semper enim ſanctis ſupereſt quo creſcere poſſint,
Et perfectorum gloria principium.
Virtutem virtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atq; omnis palma gradum faciat.

Dixi.

LVCERNA III.

SEV

ELOGIVM III.

CELEBERRIMA omnium animo meo Pallantis Lucerna fuit, quæ temporibus Henrici tertij Imperatoris inuenta eſt ab aratore quodam non longè ab vrbe Româ, dùm ſolito altiùs terram foderet. Retexit enim ſepulchrum è lapide, in quo ſitum erat cadauer humanum, perinde integrum ac ſi recens ſepulturâ affectum fuiſſet, ſed tam immanis magnitudinis, vt muros ipſos vrbis adæquaret: Lucerna verò ad caput defuncti corporis perpetuo igne ardebat, quæ nec ventis, nec aquis, nec liquoribus vllis iniectis extingui poterat. Sed tandem in imo perforatâ & ruptâ, ab importunis miræ lucis oſoribus flamma ſtatim euanuit, effluxoque liquore

Bocaciuſ. Volaterr. l. 3. Philippus Bergom.

Durauit annos ſuprà mille ducentos vndecim.

mirabili ſimul omne lumen extinctum eſt. Porrò in ſummo ſepulchro inciſum erat hoc Diſtichon.

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more ſuo iacet hic.

Quid autem ſibi velit lucerna hæc tam admirabilis, atque ardens igne ſempiterno, iam ſatis vos intelligere arbitror, cum illa ſignificet charitatis ardorem ac flammam, quam aquæ multæ nec extinguere, nec vlla flumina obruere poſſunt. Hæc virtus ſingulare Theologi hominis ornamentum videtur in te vnum præcipuè (vir excellentiſſime) conuenire. Siquidem ab eo tempore, quo in hac Auguſtinæa familia, quaſi ſuper candelabrum, conſtitutus es, vt lucerna luceres omnibus qui in hac domo Domini ſunt, quicquid doctrinæ & eruditionis habuiſti, in ſodales tuos, non lubenter tantùm, ſed etiam cupidè contuliſti. Tu enim cum eſſes ingenio præſtans, humanitate politus, Philoſophiâ clarus, iiſdem quibus abundabas ornamentis per ali-

quot annos, alumnos huius domus, eximiæ ſpei adoleſcentes, ornatos eſſe voluiſti. Cum autem rectè intelligeres, nihil optimum eſſe, quod non commune ſit, charitatem tuam, quæ anguſtioribus ſedis huius ac domicilij parietibus incluſa continebatur, longiùs paulo, latiuſque diffudiſti. Tunc enim ciuitatem vniuerſam, ſed Sacellum in primis, quod Regia munificentia atque loci ſanctitate percelebre eſt, concionibus tuis illuſtraſti. Qua in re naturam cæleſtem & Solem & Lunam & immortalia ſidera imitaris, & proximè ad congeneres illos, atque ſempiternos ignes accedis, vnde delibatos animos noſtros illuc rèdituros, Philoſophi veteres affirmabant, qui viuificos radios perpetuo motu diſpergunt, quibus vniuerſa vegetant, alunt, tuentur atque conſeruant. Aut certè, (vt aliquid tibi ſingulare, & quod in nomen tuum aptè quadret, affingam) vt profluens amnis fœcundiſſimis aquis campos alluit, alit herbas, flores irrigat, homineſque quoſlibet è viâ, ſitientes admittit: Ita tu quaſi flu-

men aureum, ſplendore verborum & ardore charitatis ignitum, fundens, dediſti fluentes riuos aquarum in ſiti Chriſtiani populi, atque mirificos fructus vbique peperiſti.

Quare dicam de te, quod Ezechieli Vati ſanctiſſimo, in libris vaticiniorum ſuorum dictum fuit: Aquæ iſtæ quæ deſcendunt in templum, aquæ iſtæ redundantes, quæ egrediuntur & deſcendunt ad plana deſerta, intrabunt mare, & exibunt atque ſanabuntur. Et omnis anima viuens, quæ ſerpit, quocumque venerit torrens, viuet, & erunt piſces multi ſatis, poſtquam venerint illuc aquæ iſtæ, & ſanabuntur, & viuent omnia ad quæ venerit torrens. Et ſuper torrentem orietur in ripis ex vtraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferet primitiua, quia aquæ eius de ſanctuario egredientur, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam. Atque hæc, Auditores, veſtrâ bonâ cum veniâ de tam præſtanti homine allata

ſint, ἀλληγορίαις obſcurata, ſed tamen vobis cognita probè atque perſpecta. Tu verò, perge vt facis, vir præſtantiſſime, lucernam tuam, hoc eſt animam tuam in manibus habe ſemper ardentem, & caue, ne vnquam in hoc vitæ curſu reſtinguatur, vt ad nuptias aliquãdo ſempiternæ fœlicitatis cum prudentibus illis Virginibus admittaris, aut, ſi mauis, fias fons & fluuius aquæ ſalientis in vitam æternam. Dixi.

LVCERNA IV. SEV *ELOGIVM IV.*

NVMA ille Pompilius, qui ſacra & ceremonias & omnem Deorùm cultum Romanos edocuit, cum multa alia religiosè atque prudenter inſtituit: tum imprimis ſempiternum ignem Veſtæ Virginibus cuſtodiendum dedit, vt ad *Florus.*

ſimilitudinem cæleſtium ſiderum cuſtos Imperij flamma vigilaret.

Strabo. Similiter apud Perſas, Magos illos diuinorum interpretes atque cultores, ignem inextinctum diligenti cuſtodia ſeruaſſe teſtantur, qui rerum veterum memorias poſteritati prodiderunt. Virgilius autem antiquitatis homo peritiſſimus, lucernas immortales Iouis Ammonis hoc immortali carminum ſuorum teſtimonio proſecutus eſt.

Hic Ammone ſatus, rapta Garamantide Nympha
Templa Ioui centum latis immania regnis,
Centum aras poſuit, vigilemque ſacrauerat ignem,
Excubias Diuûm æternas.

Quid porrò nobis aliud hic æternus ignis, hæ vigiles flammæ, niſi ſummam optimi Paſtoris vigilantiam ſignificant, quam pro munere & dignitate, quam in Repub. Chriſtiana ſuſtines, Paſtor vigilantiſſime, quaſi tuo iure tibi vindicas. Hæc quippe vigilantia te perfecit in omni doctrina ac per-

perpoliuit; hæc tibi artes omnes, quibus eſt humanitas erudita, peperit: hæc te diſertum in concionibus, eruditum in Philoſophia, in diuinarum rerum ſcientiâ præſtantem effecit: hæc te honeſtate, prudentiâ, pietate, & reliquis animi virtutibus expleuit, quæ omnes vno vigilantiæ nomine continentur. Cum autem in omnibus vitæ partibus neceſſaria ſit vigilantia, tum illis maximè, qui boni Paſtoris officio funguntur, atque curam animarum ſuſceperunt; in quibus eò acrior vigilantia requiritur, quò eorum munus & dignitas cæteris clarior eſt atque præſtantior. Cum igitur in ſacerdotio non contemnendo collocatus ſis velut in ſpecula, non mirum ſi hanc vnicam complecteris, hanc colis, hanc audis, identidem Homeri dictum ſapiens auribus tuis inculcantem.

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε. 2. *Iliad.*

Non oportet totam noctem dormire virum, Reipub. conſulentem, cui to: po-

puli commiſſi, & tot negotia concredita ſunt. Inſuſurrat illa tibi, quod Veſtales ſolebant olim, quæ conuenientes certâ die Regem Sacrorum, inclamabant: Vigilaſne Rex? Vigila. Aut quod Regi Regum apud Perſas ingreſſus in eius cubiculum primâ luce vnus è purpuratis clarâ voce ingeminans, ἀνάστα ὦ βασιλεῦ καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν, ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησε. Surge Rex, & ad ea ocyus accingere, quibus te præfecit Meſoromaſdes, (ſic enim Deorum maximum linguâ ſua Perſæ nominabant.) Tu verò facies vt Epaminondas, ille Thebanorum Dux inclytus, qui cum Thebani diem feſtum agerent, vinoque ſoluti ſine vlla cura iacerent, ſolus vigilabat, & armatus concurſabat. Vnde occurrens illi familiaris, quam rem agis? inquit; tu ſolus publicæ voluptatis expers eris? Ita ſanè, inquit ille; meum namque officium eſt vigilare, vt ciues mei ſecuri dormiant. Præclara certè vox, & tanto Imperatore digna, animis auribuſque Paſtorum omnium inculcanda, vt intelligant nihil eſſe magis officio ſuo

plut. lib. πρὸς ἡγεμόνα ἀπαιδ.

conſentaneum, quam ſummam in munere perfungendo alacritatem & vigilantiam.

Itaque hoc age, Paſtor digniſſime, ſtrenuè munus exequere, vigilias tuas ad cuſtodiam crediti tibi gregis intende, luporum fraudem & rabiem obſerua, qui in veſtimentis ouium Domini caulis totis faucibus imminent, aberrantes ouiculas ad Eccleſiæ ſepta reducere tenta, vagas palanteſque per hæreſum ſaltus quære. Vt quemadmodum vigilantia tua ad ſummum Doctoris ductoriſque Chriſtiani gregis gradum in terris aſcendiſti, ſic ad altiſſimum illum fœlicitatis locum qui deſignatus eſt omnibus Paſtoribus, qui in officio vigilantes fuerunt, aliquando Chriſti beneficio conſcendas. Dixi.

LVCERNA V.

SIVE

ELOGIVM V.

Plut. DEMOSTHENES ille Athenienſis, cui vel primas Atticæ Eloquentiæ vno ore veterum omnium tribuit ætas, lucernam habuit, etiam æmulorum ipſius prædicatione, notiſſimam. Cum enim nollet vir prudentiâ pari ac facundia præditus, ingenium ſuum extemporanea eloquentia publicè committere: nocturnis ad lucernam vigiliis meditatus ſemper ad dicendum paratuſque veniebat. Quare eum irridens Pytheas, ἐλλυχνίων ὄζειν, hoc eſt, lucernam olere Enthymemata ſua dixit, propter lucubrationes, in iis excogitandis conſumptas: & ipſe illum viciſſim irridens: nimirùm ait, non eorum-

dem tibi & mihi, ô Pythea, conſcia lucerna eſt. Et furaci homini, cui nomen Chalco, id eſt æreo, cum temneret vigilias & lucubrationes eius perſtringeret: Noui, inquit, moleſtum tibi eſſe, quod lucernam habeam accenſam. At vos nolite mirari Athenienſes, ſi furta committantur, cum fures æreos, & luteos parietes habeamus.

Lucerna, quâ vir ille ſummus dicendi artifex vtebatur, appoſitè mihi exprimit excellentem tuam (vir ſapientiſſime) perfectamque prudentiam. Quippe lucerna corporis eſt oculus, ſed lucerna & oculus mentis eſt ipſa prudentia, quæ in te, v. c. ex ſingulari doctrinâ & ingenii ſubtilitate oritur, & ſummis virtutibus, quaſi quibuſdam gradibus exaggerata, conſurgit: nec enim tu is es, qui leuitati ſeruias, aut in quo varietas & inconſtantia videatur, ſed qui vitæ conſilia, ad exactiſſimam prudentiæ normam dirigas, omneſque tuas actiones veræ virtutis perfectique officii ratione metiaris.

Itaque à quo tempore in hac Augu-

ſtinceæ ſodalitatis luce & celebritate verſaris, non tantùm diuinorum ſtudiorum moderator & Rector es factus, ſed in illa ſuperiori domeſticæ diſcordiæ flamma, in laborum etiam curarumque publicarum conſortium aſſumptus ab optimis cuſtodibus gubernatoribuſque familiæ, qui te ſcientiſſimum earum rerum & peritiſſimum eſſe cognouerant. Qua in ſtatione quantâ quamque vtilia dederis ſpectatæ prudentiæ documenta, norunt omnes qui hoc Religionis domicilium temporibus illis miſeris ac perditis aut incoluerunt, aut frequentes celebrarunt. Huc enim vires ingenij exeruiſti, huc te totum contriuiſti, vt ſubitam fundatiſſimæ familiæ ruinam auerteres, & veterem ipſius dignitatem & ſplendorem omni ope atque opera conſeruares. Quare mirum videri non debet, ſi cum tanta virtute & prudentia eſſes cognitus, ſapientiſſimi Rectores domus, te diuini cultus ducem atque coryphæum optarunt, cuius ſplendorem honoris, oneriſque magnitudinem tanta cum laude ſuſtinuiſti, vt antiqua

chori veſtri dignitas atque majeſtas, quæ iam imminui & obſcurari incipiebat, eadem nunc tuâ prudentiâ, & curâ reſtituta eſſe videatur. Quamobrem fruere illo tuo bono, vir prudentiſſime, virtutes omnes amplectere, omnes tuas curas, & cogitationes in familiæ tuæ ſplendore cultuque diuino propagando, confige, & quod palmarium eſt, tot egregiis virtutum ornamentis illuſtratus, & ſummis ſacræ Facultatis Theologiæ inſignibus honeſtatus, ad immortalem ſempiternæ lucis gloriam, vt facis, aſpira. Dixi.

LVCERNA VI.
SEV
ELOGIVM VI.

Guido pancir. l. rerum memor.

INTER complures veterum ſepulchrorum, tum æneas tum fictiles, tum alia quauis ex materia lucernas effictas, notiſſima eſt illa, quæ patrum noſtrorum ætate Romæ inuenta eſt in Appia via, è regione monumenti M. Tullij Ciceronis, Paulo Tertio Pontifice Maximo exarata. Hæc enim ſupra mille & quingentos annos inextincta exarſerat in Tulliolæ Ciceronis eiuſdem filiæ ſepulchro. Quod tum ex literis lapidi inciſis, tum ex cadauere notum fuit. Sic enim lapis erat inſcriptus, *Tulliola Filia mea.* Et muliebre cadauer inuentum eſt, cum capillis ad id vſque tempus aureo retinaculo implicitis irretitiſque

que integrum conſeruatum. Quæ omnia ob nimiam vetuſtatem exſiccata & arefacta penitùs contactu in pulueres diſſoluta conciderunt.

Cui verò potiùs hanc lucernam conferemus, quàm tibi, vir diſertiſſime, cui vni filia ſummi illius parentis & artificis Eloquentia, tanquam in matrimonium collocata eſſe videatur? Nam ita libet Eloquentiam nominare, vt Epaminondas ille moriens, qui relictas à ſe dicebat filias duas, quibus nobiliſſimas victorias Leuctricam & mantineam ſuâ virtute partas intelligebat. Piſcis quidam lucernæ nomen habet, quod ipſius lingua tranquillis noctibus, inquit Plinius, à ſummis aquis paululum extans reluceat; non diſſimili ratione, tu, cuius è linguâ melle dulcior fluit oratio, videris elucere. Cum enim eſſes non mediocribus, & naturæ & doctrinæ præſidiis ad dicendum docendumque præmunitus, linguâ celeri & exercitata, ſingulari ſermonis ſuauitate, primùm in vrbe patriâ ludo bonarum artium aperto, per tres ipſos annos cum maximo te-

neræ ętatis fructu inclaruiſti. Deinde ita ad publicam vtilitatem factus & fictus, ſimul veniſti Lutetiam Pariſiorum ad capeſſendum pleniorem animi cultum, ibi ſummam vbertatem in dicendo, & copiam tuam oſtentaſti. Nondum enim orbem omnem ſcientiæ diuinæ complcueras, & tamen vniuerſæ quadrageſimæ ſpatia ſemel atque iterùm in celeberrimis Templis, maximâ Chriſtianæ multitudinis audiente coronâ, confeciſti. Quemadmodum autem ignis transferendo non extinguitur, plerumque verò acriùs erumpit: Ita tu Pręfecto ſiue Parocho Principis Eccleſiæ Pariſiorum (vt Vegetianam vocem vſurpem) ſuccenturiatus Optio in ciuitate Metropoli, quaſi ignis emicuiſti, & tuum quaſi facula verbum exarſit. Tunc enim cœpiſti doctiſſimis concionibus ciues omnes incendere, verbiſque & exemplis ad pietatem & diuinum cultum inflammare.

Quippè maxima elucet in te in curis animarum ſollicitudo, in adminiſtrandis muneribus ſacris diligentia,

in ſuggerendo conſilio prudentia, in quotidianis congreſſibus ardor ſpiritus, in omni denique actione modeſtia, vt non minor ex factis, quàm ex verbis tuis diſciplina virtutis exiſtat.

Hæ ſunt, vir ſpectatiſſime, virtutes atque ornamenta quibus ſapientiſſimi Magiſtri noſtri impulſi ſunt, vt incredibili conſenſu te in numerũ ſuum cœtũque conſcriberent, ducti hac minimè fallaci coniectura, quod ſcirent te nequaquam minimum Theologicæ Facultatis lumen & columen fore. Dixi.

LVCERNA VII.

SEV

ELOGIVM VII.
& poſtremum.

QVOD olim Phidiam prçſtantiſſimum illum artificem dicere ſolitum ferunt, ſummam eſſe artis difficultatem cùm ad vnguem

opus peruenerit, in hac affecta; & penè iam ad exitum adducta Theologorum noſtrorum grauiſſima atque ornatiſſima laudatione prorſus mihi experiri contingit. Etenim poſt tam varias ac tam exquiſitas vndique ab omni memoria lucernas, quam & qualem tibi tandem tribuerem atque conferrem, diu multumque, doctiſsime Domine, dubitaui. Aureamne, an argenteam, an æneam aut fictilem aſsignarem? Verum enimverò accipite hęc animis lętaſque aduertite mentes, Auditores humaniſsimi, nemo ex hoc lectiſsimorum Theologorum numero lucerna ſua mihi non donatus abibit. Lucerna igitur eris fictilis, qualem homo doctiſsimus meminit exaratam in Italiâ; quæ Lucio Cæſæ nomine inſcripta erat. Lucerna, inquam, quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, vt loquitur Apoſtolus, ipſe illuxit in corde tuo ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti. Fictilem porrò deſignamus, ſiquidem, vt idem Doctor diuinus affirmat, theſaurum habemus in vaſis fictilibus,

Iul. Iacobon.

ac ſumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, inquit Auguſtinus. Verum vt aliquid tibi proprium ac ſingulare tribuamus, dicam lucernam tuam ex inſectorum genere quodam eſſe, inter quę beſtiolæ reperiuntur, quas Græci πυγολαμπίδας, Latini Nitedulas, ſiue Cincidelas vocant, quæ igneo multùm colore micant in tenebris, & clarum lumen fundunt. Quidni verò te lucernam humani vermis inſtar effulgentem appellem? cum reuerà ſit filius hominis vermis, & non hominem, ſed vermem Chriſtum Dominum Rex idem & Vates ſanctiſsimus appellarit? Ea verò mihi tuam illam modeſtiæ partem quę Grędis ταπεινοφροσύνη, Latinis humilitas nominatur, laudabilem ac pręcipuam animi demiſsionem pręclarè deſignat. Qua eximiâ & ſingulari animi affectione cum ſis pręditus, tuo te modulo metiri, nec opinione vel facto tibi plus tribuere voluiſti, quàm æquitas poſtulet, ratio pręcipiat, conſcientia proponat. Cum enim animaduerteres ſocios tuos, viros ingenio, doctrinâ, me-

ritiſque præſtantes in primis, poſtremum inter ipſos locum ac ſedem tenere non abnuiſti. Nimirùm honeſtum eſt in Academiâ Chriſtiana ſummi illius magiſtri ac Domini præcepta ſequentem in vltimis conſidere. Quod cum optimè exploratum perſpectumque tibi eſſet, iis ſemper in vita rationibus es vſus, quibus vbique ſubmiſſam hanc animi modeſtiam excoleres. Quid enim hic referam, te per ſummas brumæ rigentis iniurias Romam iter arripuiſſe, tum vt ſacra loca Apoſtolorum nobilitata veſtigiis religiosè inuiſeres, tum vt ſummum Pontificem vniuerſæ Eccleſiæ caput, ſanctiſsimarum Religionum Prę ſidem, Chriſti Vicarium, Præfectum foribus Cæli, & ſecundùm Orbis Conditorem Deum Reuerendum cum humillimis pedum oſculis adires, eiuſque conſilium de negotiis Religionis, non minimi momenti ac ponderis expeteres. Tu (quæ rara laus eſt) dum alij certatim geſtiunt micare in tenebris, & in ore hominum, & honore famæ verſari, intereà lucem iſtam ac celebritatem fugis, ac

ſolam claritatem æternæ ſapientiæ Solemque Iuſtitiæ ſecutus, ſecurus in tuo quantulocumque lumine acquieſcis. Itaque mirum videri non debet, ſi tantum amorem tibi ac beneuolentiam, non modò à ſodalibus tuis, ſed etiam à maleuolis ipſis, ſi quos forſitan offendiſti, conciliaſti.

Ælianus cum vim olei, quod ex verme Indico conficitur, exponit, eam ait eſſe vis tantæ, vt vel ſola eius hemina in lignorum aceruum infuſa, eum penitus comburat atque conſumat. Subiicitque ex Cteſia Perſicarum atque Indicarum rerum ſcriptore, olim hoſtium vrbes eodem ipſo à Perſarum Rege in poteſtatem eſſe redactas, nullis neque arietibus, neque teſtudinibus, aliiſque bellicis machinis admotis. Etenim fictilia vaſa vnius heminę capacia, huiuſmodi oleo impleta, dein obſtructa & obturata in portas iaculatum, ac vaſa quidem ad portas alliſa, perfracta: oleum verò portis hęrens, & illitam flammam, incendio quod reſtingui non poterat non portas modò, ſed homines ipſos depugnantes pari- Lib. 5. variar. hiſt. c. 3.

ter abſumpſiſſe cum armis.

Chriſte ſancte, quantas vires habet inuictiſſima illa & potentiſſima virtutum omnium genitrix, modeſtia animi atque humilitas, quæ non auſteros ſolum ac ſeueros rerum alienarum æſtimatores, obtrectatores, inuidos, maleuolos, liuidos, mitigare, placare, lenire; Verùm etiam inimiciſſimos & infeſtiſſimos quoſque œſtro percitos vindictæ & odij, aut æmulationis improbæ, frangere, domare, ſubigere poteſt.

Plin. Occurrit hic mihi quod de verme quodam ferunt, qui in Italiæ partibus innaſcitur. Cum hic hortorum inter flores diu multumque verſatus eſt, multiplici lapſu & erratico ad faſtigium tectorum euadit, vbi tandem incredibili naturæ miraculo alis ſuccreſcentibus videtur cum reliquis volucribus paſſim ac liberè per aëra volitare. Ita tu poſtquam in humanarum artium floſculis quaſi vermis, vt itâ dicam, humi repſiſſes, tota contentione animi ad excelſum diuinæ ſapientiæ culmen euectus, tandem cum admiratione

ſatione hominũ Doctores inter Theologos diuinas illas aues atque cæleſtes locum tenere cœpiſti. Macte igitur tantâ virtute animi, macte, vir modeſtiſſime, vt cum venerit Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam dicat tibi, quod æternæ veritatis Oraculo fertur: Ne timeas, ego adiuui te, noli metuere vermis Iacob, ego tibi auxilium tuli, aſcende ſuperius, ad altiſſimum diuinæ facultatis gradum ac decus cum omnium bonorum plauſu; & approbatione conſcende.

Numquidnam prætereà de Theologorum noſtrorum laudatione ſupereſt? Auditores humaniſſimi, prorſus multa! de figurâ tamen diuini illius Vatis, quam initio exponendam ſuſcepi, quod ſciam, nihil. Itaque finem facio, & cæteris Oratoribus, qui his proximè conſequentibus diebus, aliis in ſcholis, poſt me dicturi ſunt, lampada trado.

DIXI.

99 52163

715.6
2

Google

83.

715.6

Digitized by Google